

Codicum scripturas scholiastasque denuo diligenter consului et examinavi; quo factum est, ut antiquissimorum librorum Mss., maxime Blandiniorum Cruquii, auctoritate lectiones in prima et altera editione receptas nunc cogerer mutare. Quod quam saepe necessarium visum sit ut intellegatur, locos ipsos nunc addam: Carm. I, 7, 17. I, 8, 2. I, 15, 22. I, 19, 2. I, 24, 13*). I, 25, 2. III, 4, 31. III, 15, 16. III, 20, 8. IV, 4, 73. C. S. 68. 71. 72. Sat. I, 3, 57. I, 4, 87. I, 6, 31. I, 7, 50. II, 1, 31. II, 2, 48. II, 2, 56. II, 2, 95. II, 3, 96. II, 3, 129. II, 3, 170. II, 3, 212. II, 3, 276. II, 4, 47. II, 6, 4. II, 6, 44. II, 6, 48. II, 8, 52. II, 8, 53. Epist. I, 1, 72. I, 2, 38. I, 3, 30. I, 13, 2. I, 15, 10. I, 16, 22. I, 18, 111. I, 19, 22. 23. II, 1, 69. II, 1, 85 (A. P. 161). II, 1, 167. II, 1, 186. II, 2, 16. II, 2, 158.

Regimontii Borussorum a. d. XIII. Kal. Mai. MDCCCLIV.

PRAEFATIO

EDITIONIS IV.

Quam abhinc annos prope sex aequitati doctorum hominum commendavi editionem tertiam, eius exempla cum essent divendita, institit redemptor egregius, ut quartum emitteretur libellus. Quod ut honeste fieret, denuo consului varietatem optimorum codicum, praecipue Blandiniorum Cruquii, antiquorum Bentleii et

*) De hoc loco cf. Quaestiones meas Horatianas (Bonnae. Habicht 1841.) p. 48 sqq.

Orellii. Inde autem quem fructum ceperim ad restituenda verba poetae, intellet qui hos locos cum superioribus editionibus comparaverit: Carm. I, 8, 2. 6. 7. I, 15, 9. 24. I, 16, 8. III, 1, 43. III, 17, 13. III, 24, 60. III, 25, 9. IV, 1, 22. IV, 4, 31. IV, 6, 21. Epod. 11, 2. Sat. I, 5, 67. I, 7, 15. I, 10, 27. 31. 86. II, 2, 118. II, 3, 43. 259. Epist. I, 2, 32. I, 6, 57. I, 10, 24. I, 11, 16. I, 18, 16. 46. II, 1, 114. 260. II, 2, 3. 93. 128. A. P. 46. 65. 92. 139. 153. Aliorum editiones, inter quas Meinekii alteram, Kirchneri, Doederlinii, Teuffelii, Ritteri honoris causa nomino, et commentationes de singulis vel carminibus vel locis scriptas, quascumque inspicere licuit, diligenter contuli; quo saepius factum est, ut in explicando poeta meliora doctus sententiam mutarem. Ceterum commentarii naturam, usu comprobata, intactam reliqui, nisi quod criticam adnotationem ad tutandas lectiones passim auxi; tabulam chronologicam *Kolsteri**) admonitionem secutus locupletavi; indicibus et nominum et rerum haud pauca addidi, quae olim praetermittenda viderentur aut recens essent recepta. Praeterea haud indignum, spero, ornamentum accedet tabula villae Horatianae, quam filius tertius, qui nunc ipsum Horatii carmina lectitare incohavit, me duce quam potuit accuratissime delineavit, Sosius honestissimus lapidi incidendam curavit. In qua re magnopere me adjuvit libellus gallice scriptus hoc titulo: *Étude biographique sur Horace par A Noël des Vergers* (Paris, Didot 1855); cui quae additae sunt tabulae, altera in-

*) *Jahn*. *Annal. philol.* LXXV, 7. p. 493 sqq.; praeterea publice de tertia editione iudicatum est a *Tromphellero*, viro doctissimo, in *Mützellii* mei *Annal. rei scholast.* 1854. Octobr. p. 776 sq. et a *Meyero* in libro qui inscribitur *Athénée français* 1854. n. 39.

scripta *Villa d'Horace et ses environs*, altera *Plan topographique de la vallée de la Digentia et de la villa d'Horace*, dressé par Mr. Pietro Rosa, architecte, eas quidem immutatas recipere non licuit nec si licuisset voluissem; vetuit enim tota tabularum ratio neque clara satis aut perspicua neque adolescentibus admodum habilis.

Peerlkampii in Horatii carmina gravissimi impetus id effecerunt, ut, quicumque ea sibi eripi non paterentur, quae tot saeculorum perpetua admiratio in posterum quoque videretur sacrasse, dulcissimo poetae verius intellegendo, rectius interpretando, acutius defendendo continuam operam navarent. Nec quicquam aliud efficiet *Gruppii* liber, qui a Peerlkampii sollertia et acumine immane quantum discrepat. Nescias enim, utrum temeritas fiduciam an fiducia levitatem superaverit. Nam quid est facilius quam damnare et exturbare, quae vel ipse non intellexeris vel intellegi non posse tibi persuaseris vel tuae aetatis intellegentiam effugiant vel, quae optimorum etiam poetarum est humana natura, debilia sint aut minus egregie composita et expressa? Et tamen ratione plane carere videberis, nisi utramque manum dederis concesserisque, hanc partem carminis frigidam, illam ieiunam esse, hanc sententiam esse mancam vel inconcinnam, illam nimiam vel luxuriantem. Si quaeris, cur ita, nimis es curiosus. Utinam tandem desinant Horatium alieno modulo ac pede metiri!

Regimontii Borussorum Idib. Sept. MDCCCLX.